1. THE ARK

Haec nārrantur ā poētīs dē Perseō. Perseus fīlius erat Iōvis, maximī deōrum; avus eius Acrisius appellābātur. Acrisius volēbat Perseum nepōtem suum necāre; nam propter ōrāculum puerum timēbat. Comprehendit igitur Perseum adhuc īnfantem, et cum mātre in arcā ligneā inclūsit. Tum arcam ipsam in mare coniēcit. Danaë, Perseī māter, magnopere territa est; tempestās enim magna mare turbābat. Perseus autem in sinū mātris dormiēbat.

2. JUPITER SAVES HIS SON

Iuppiter tamen haec omnia vīdit, et fīlium suum servāre cōnstituit. Tranquillum igitur fēcit mare, et arcam ad īnsulam Serīphum perdūxit. Huius īnsulae Polydectēs tum rēx erat. Postquam arca ad līmus appulsa est, Danaë in harēnā quiētem capiēbat. Post breve tempus ā piscātōre quōdam reperta est, et ad domum rēgis Polydectis adducta est. Ille mātrem et puerum benignē excēpit, et eīs sēdem tūtam in fīnibus suīs dedit. Danaë hoc dōnum libenter accēpit, et prō tantō beneficiō rēgī grātiās ēgit.

3. PERSEUS IS SENT ON HIS TRAVELS 20

Perseus igitur multōs annōs ibi habitābat, et cum mātre suā vītam beātam agēbat. At Polydectēs Danaën magnopere amābat, atque eam in mātrimōnium dūcere volēbat. Hoc tamen cōnsilium Perseō minimē grātum erat. Polydectēs igitur Perseum dīmittere cōnstituit. Tum iuvenem ad sē vocāvit et haec dīxit: "Turpe est hanc ignāvam 25
vītam agere; iam dūdum tū adulēscēns es. Quō ūsque hīc manēbis? 1
Tempus est arma capere et virtūtem praestāre. Hinc abī, et caput Medūsae mihi refer." 3

4. PERSEUS GETS HIS OUTFIT

Perseus ubi haec audīvit, ex īnsulā discessit, et postquam ad continentem vēnit, Medūsam quaesīvit. Diū frūstrā quaerēbat; namque nātūram locī ignorābat. Tandem Apollō et Minerva viam dēmōnstrāvērunt. Prīmum ad Graeās, sorōrēs Medūsae, pervēnit. Ab hīs tālāria et galeam magicam accēpit. Apollō autem et Minerva falcem et speculum dedērunt.

Tum postquam tālāria pedibus induit, in āēra ascendit. Diū per āēra volābat; tandem tamen ad eum locum vēnit ubi Medūsa cum cēterīs Gorgonibus habitābat. Gorgonēs autem mōnstra erant speciē horribilī; capita enim eārum serpentibus contēcta erant. Manūs etiam ex aere factae erant.

5. THE GORGON'S HEAD

Rēs difficillima erat caput Gorgonis abscīdere; eius enim cōnspectū hominēs in saxum vertēbantur. Propter hanc causam Minerva speculum Perseō dederat. Ille igitur tergum vertit, et in speculum inspiciēbat; hōc modō ad locum vēnit ubi Medūsa dormiēbat. Tum falce suā caput eius ūnō ictū abscīdit. Cēterae Gorgonēs statim ē somnō excitātae sunt, et ubi rem vīdērunt, īrā commōtae sunt. Arma rapuērunt, et Perseum occīdere volēbant. Ille autem, dum fūgit, galeam magicam induit; et ubi hoc fēcit, statim ē cōnspectū eārum ēvāsit.

6. THE SEA-SERPENT

Post haec Perseus in fīnēs Aethiopum vēnit. Ibi Cēpheus quīdam illō tempore regnābat. Hic Neptūnum, maris deum, ōlim offenderat; Neptūnus autem mōnstrum saevissimum mīserat. Hoc cotīdiē ē marī veniēbat et hominēs dēvorābat. Ob hanc causam pavor animōs omnium occupāverat. Cēpheus igitur ōrāculum deī Hammōnis cōnsuluit, atque ā deō iussus est fīliam mōnstrō trādere.

6. THE SEA-SERPENT (cont.)

Eius autem fīlia, nōmine Andromeda, virgō fōrmōsissima erat. Cēpheus ubi haec audīvit, magnum dolōrem percēpit. Volēbat tamen cīvēs suōs ē tantō perīculō extrahere, atque ob eam causam imperāta Hammōnis facere cōnstituit.

7. A HUMAN SACRIFICE 13

Tum rēx diem certam dīxit et omnia parāvit. Ubi ea diēs vēnit, Andromeda ad lītus dēducta est, et in cōnspectū omnium ad rūpem 15 alligāta est. Omnēs fātum eius deplōrābant, nec lacrimās tenēbant. At subitō, dum mōnstrum exspectant, Perseus accurrit; et ubi lacrimās vīdit, causam dolōris quaerit. Illī rem tōtam expōnunt et puellam dēmōnstrant. 19a

Dum haec geruntur, fremitus terribilis 19b audītur; simul mōnstrum horribilī speciē procul cōnspicitur. Eius 20 cōnspectus timōrem maximum omnibus iniēcit. Mōnstrum magnā celeritāte ad lītus contendit, iamque ad locum appropinquābat ubi puella stābat.

8. THE RESCUE

At Perseus ubi haec vīdit, gladium suum ēdūxit, et postquam tālāria induit, in āēra sublātus est. Tum dēsuper in mōnstrum impetum subitō fēcit, et gladiō suō collum eius graviter vulnerāvit. 25

Mōnstrum ubi sēnsit vulnus, fremitum horribilem ēdidit, et sine morā tōtum corpus in aquam mersit. Perseus dum circum līmus volat, reditum eius exspectābat. Mare autem intereā undique sanguine īnficitur. Post breve tempus belua rūrsus caput sustulit; mox tamen ā Perseō ictū graviōre vulnerāta est. Tum iterum sē in undās mersit, neque posteā vīsa est. 1 5

9. THE REWARD OF VALOR

Perseus postquam ad līmus dēscendit, prīmum tālāria exuit; tum ad rūpem vēnit ubi Andromeda ligāta erat. Ea autem omnem spem salūtis dēposuerat, et ubi Perseus adiit, terrōre paene exanimāta erat. Ille vincula statim solvit, et puellam patrī reddidit. Cēpheus ob hanc rem maximō gaudiō affectus est. Meritam grātiam prō tantō beneficiō Perseō rettulit; praetereā Andromedam ipsam eī in mātrimōnium dedit.

Ille libenter hoc dōnum accēpit et puellam dūxit. Paucōs annōs cum uxōre suā in eā regiōne habitābat, et in magnō honōre erat apud omnēs Aethiopēs. Magnopere tamen mātrem suam rursus vidēre cupiēbat. Tandem igitur cum uxōre suā ē regnō Cēpheī discessit.

10. POLYDECTES IS TURNED TO STONE

Postquam Perseus ad īnsulam nāvem appulit, sē ad locum contulit ubi māter ōlim habitāverat, sed domum invēnit vacuam et omnīnō dēsertam. Trēs diēs per tōtam īnsulam mātrem quaerēbat; tandem quartō diē ad templum Diānae pervēnit. Hūc Danaë refūgerat, quod 25

Polydectem timēbat. Perseus ubi haec cognōvit, īrā magnā commōtus est; ad rēgiam Polydectis sine morā contendit, et ubi eō vēnit, statim in ātrium irrūpit. Polydectēs magnō timōre affectus est et fugere volēbat. Dum tamen ille fūgit, Perseus caput Medūsae mōnstrāvit; ille autem simul atque hoc vīdit, in saxum versus est. 5

11. THE ORACLE FULFILLED

Post haec Perseus cum uxōre suā ad urbem Acrisī rediit. Ille autem ubi Perseum vīdit, magno terrōre affectus est; nam propter ōrāculum illum nepōtem suum adhuc timēbat. In Thessaliam igitur ad urbem Larīsam statim refūgit, frūstrā tamen; neque enim fātum suum vītāvit.

Post paucōs annōs rēx Larīsae ludōs magnōs fēcit; nuntiōs in omnēs partēs dīmīserat et diem ēdīxerat. Multī ex omnibus urbibus Graeciae ad lūdōs convēnērunt. Ipse Perseus inter aliōs certāmen discōrum iniit. At dum discum conicit, avum suum cāsū occīdit; Acrisius enim inter spectātōrēs eius certāminis forte stābat.